

05

A

1478





Q. D. B. V.  
Dissertationem Ethicam

De

CONSCIEN  
TIA  
DUBIA

In

AlmaLeucorea

Publicæ Eruditorum Disquisitioni proponit

PRÆSES

M. CHRISTIANUS  
CRACOVIVS,

Dahmensis Saxo,

RESPONDENTE

JOHANNES GOTTLIBIO  
FLEISCHERO,

Grassaviensi Saxone,

In Acroaterio Minori

Ad d. IX. Octob. hor. mat. A. R. S. MDCXCVII.

---

VITENBERGÆ,

Typis MARTINI SCHULTZII, Acad. Typogr.



05 A 1478



## Q. D. B. V.

f. 1.

**D**igna æque ac necessaria videtur esse Conscientiæ consideratio, cum multum ad civilem naturalemque hominis beatitudinem conferat, si bona; sin mala summos quoque cruciatus atque dolores excitet, interdum citius, interdum serius, sed tamen certò, vel in rebus adversis, vel in agone. Bona enim beatæ; ast mala miseræ vitæ comes & pedissequa est individua. *Conscientia mentem, exagitat, in Adag. Gilbert. Cogn. Cent. 6. Prov. 50. Nunquam speres, si quid turpe feceris, te latere posse. Quamvis enim lateas alios, tute tibi conscius eris. Stob. serm. 24. Isocr. ad Demon. Et Hugo lib. 2. de anima, cap. 9. Conscientia bona titulus est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum declinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis, thesaurus Regis, aula Dei, habitaculum Spiritus S, liber obsignatus & clausus, & in die iudicii aperiendus.* Et si ejus naturam accuratori animi lance ponderare velimus, syllogismò quasi practico constat, cujus Propositio semper agit de Jure, Assumptio de facto vel statu, & Conclusio de relatione exurgente, ex facto vel statu nostro, ratione illius juris: quod vel in reatu, vel in securitate animi consistit. Conf. Gvil. Amestii Lib. de Conscient. p. 42. Vel cujus major Propositio Lex s. Regula universalis, Minor Index & Testis, Conclusio autem Judex, vel damnans & mordens, vel erigens & absolvens reum. Major Propositio est Lex sive *convincens* h. e. notitia principiorum practico-rum infita, cum cuilibet hominum maturâ ætate & integræ mentis compoti tantum luminis superfit sive per naturam, sive per divi-

nam revelationem, five per acquisitam Legum notitiam, ut adhibita deliberatione, præcepta ac principia saltem illa generalia, quæ ad vitam tranquillè honesteque transigendam faciunt, rectè comprehendere possit, simulque judicare, an actio jam perpetrata, aut adhuc perpetranda, consentanea aut dissentanea Legi naturæ & vitæ rationali sit? an limites honestatis & cancellos transgrediatur, an minus? Minor Index & Testis, cùm applicat ista præcepta generalia propriis cujusque actionibus, præsentibus, præteritis & futuris, cogitationibus externis & interioribus, affectibusque animi, nec non testimonium de singulis, quæ à nobis facta vel omissa sunt perhibet, dum quæcunque agimus, sollicitè observat & annotat, virtuteque reminiscentiæ nos eorum omnium secreto in pectore admonet. Ex his denique præmissis fluit Conclusio, quæ nostrarum actionum Judex est: hæc facta vel bona vel mala pronunciat; ob illud excusat, excusandò erigit, & erigendò menti partim parit tranquillitatem, partim verum & sincerum gaudium; ob hoc accusat, accusandò, damnat, & dammandò animum reddit tristem & anxium. Ex quo supposito jam tale *ἡδὴ δέξω* fluit: dari forum, in quo unus idemque homo in eadem causa & rei & actoris & testis & iudicis officio fungi possit, nempe in foro Conscientiæ.

§. 2. Conscientia autem hæc, quamvis in re una sit, fortitur tamen multifaria nomina à diversis judicandi actibus & eorum circumstantiis. Judicium enim intellectus nostri non semper eodem modò sese habet, sed interdum rectò incedit talò, quandoque à recta via aberrat, non rarò langvet & fluctuat, unde alia & alia nascitur Conscientiæ ratio. Sic dispescitur in Conscientiam rei præteritæ seu factorum, & futuræ seu faciendorum: quorum illa vel bona vel mala est. Communis verò & in Scholis Philosophorum usitata est divisio, quæ Conscientia respectu actionis suscipiendæ dividitur in Rectam, Erroneam, Probabilem, Dubiam & Scrupulosam. Probè id de membris hujus divisionis est tenendum, quod non omnibus æqualiter & eodem modo competat nomen & ratio Conscientiæ. Tribus enim prioribus propriè; posterioribus vero minus propriè attribuitur, id quod accuratè observat Hornejus Lib. 3. Eth. cap. 4. p. m. 319.

Quatu-

Quotuplex est, inquit, iudicium intellectus de re quapiã aut faciendã, aut  
omittendã, totuplex etiã est Conscientia. Iudicium autem istud triplex est:  
rectum sive certum, probabile & erroneum, quare etiã Conscientia pro-  
priè loquendo triplex tantum est, Recta, Probabilis & Erronea. Sed  
quia etiã Dubitatio & hesitatio intellectus impropriè iudicium intelle-  
ctus appellantur, fit ut similiter Conscientia aliqua Dubia & aliqua Scru-  
pulosa dicatur. De quibus porrò legi merentur Excell. Dn. Nösh-  
rense Part. 1. c. 5. Prudent. Moral. Samuel. Puffendorf. de O. H. & C.  
c. 1. Vafqvetz Disp. 55. cap. 1. n. 5. Gregor. de Valentia Tom. 2. Disp.  
2. quæst. 14. punct. 4. p. 332. & alii. Nos verò prætermisiss omni-  
bus speciebus, unicè Conscientiæ Dubiæ accingimus, quam  
& jamjam præ manibus sumimus, ad quod institutum nostrum  
æterni Numinis auxilium imploramus, ut cœptis in honorem  
sui & nostri emolumentum annuere velit.

§. 3. Disputaturis itaque nobis de Conscientia Dubia,  
maximè incumbit primùm planum reddere, eam non veram,  
sed impropriam & analogicam tantum Conscientiæ speciem esse,  
in quo pronuntiatio non modo nostrum, sed & in primis maxi-  
morum virorum iudicium sequimur. Ita Joh. Conrad. Danhavv.  
in Theolog. Conscient. p. 114. loquitur: propriè hoc Conscientiæ  
genus Conscientia non est, cum Conscientia scientiam supponat,  
sed reducitur ad Conscientiam, ut privatio ad suum habitum.  
Cui assensum præbent Adam Rechenberg. Lineament. Phil. Civ.  
P. 1. c. 8. Paulus Layman. Theol. Moral. lib. 1. Tract. 1. c. 3. & Hor-  
nejus cit. loc. Conscientiæ enim umbram & similitudinem po-  
tius, quàm id nomen meretur. Omnis enim Conscientia iudicium  
intellectus Practici est de re facta, vel adhuc faciendã; at Dubia  
Conscientia suum de rebus agendis iudicium suspendit, quod  
pro utraqve contradictoriarum parte aut æque dubia se offerant  
argumenta, ut anceps hæreat discernere, quænam prævaleant;  
aut pro neutra rationes in promptu sint. Qui verò dubitat, non  
potest dici iudicare: Firmiter tamen asserim, commodè eam huc  
referri posse, quia non tantum pro objecto actûs morales, in qui-  
bus honestatis & turpitudinis, iusti & iniusti, commissionis & om-  
missionis ratio reperitur, habet, sed & propriè sic dictam repræ-  
sentare conatur Conscientiam, imò & ab omnibus de ea sollicitis  
huic tanquam sedi propriæ annexa fuit.

§. 4.

§. 4. Principium, seu ortus ejus promanat ex judicii hebetudine & defectu rationum, actiones nostras ad amissim legis determinantium, tum & ex diviniore Scripturæ neglectu, Conscientiam firmantis. Existente enim unò scrupulò, innumeri alii sequuntur, qui intellectum magis magisque reddunt, ancipitem in adhibenda fide, factisque persequendis. Unus ex altero emergit, & indoles hæreseos est, quæ semel admissa necit funes dubitationum infinitos, cum in primis circumstantiæ in actionibus diversæ sint. Sæpenumero casus difficiles obscuri & implicati obtingunt, qui animum in diversas invicemque contrarias trahunt opiniones, quarum una necessaria est, altera autem fucum & fraudem involvit, ac intellectui ambiguitatem & formidinem objicit, quæ causam suggerit, ob quam consentire, conclusionibus quibuscunque non sustinet, sed reflexum habet actum ad duo opposita, hæsitatque cuinam rectè fidem suam, applicet, quamdiu de his nullum diluere potest, aut eversum animadverit. Tum in expedita ipsi objiciuntur Problemata, in quibus varia ratiocinia pro contrariis inter sese sententiis ad statuminandam utramvis probabilitatem afferri interdum possunt, ut satis non constet, quænam alteri anteposenda sit propter momenta paria, quæ neutri prærogativam videntur cedere. Accedit & hoc, quod nihil citra temeritatem statui, & in effectum traduci debeat, nisi recta ratio id ob certas rationes permittat, & pro vero & justo declaret; alioquin enim peccatum committimus & Conscientia sauciatur. Singula itaque rationibus metienda sunt, quò error qui aliàs facile committi potest, evitetur. Quod dum in oblato sibi casu observat intellectus, nullasque in alterutram partem inclinatas perpectas habet rationes, incertitudine obrutus, insufficientique oblatarum exceptionum discussione perterritus, secum deliberat, quo sese flectere debeat, & sic judicium suum suspendit.

§. 5. Observandum & sedulò sub duplici quandoque ratione Conscientiam Dubiam usurpatam reperiri, vel in latiori, vel instrictiori sensu & magis proprio. In ampliori significatione accipitur, quando judicium nostrum non planè anceps hæret, sed alterutri contradictoriarum parti assensum fidei & opinionis præbet,



præbet, palmamq; defert, quamvis dubitationem quandam habeat annexam. Commovetur ergò tunc intellectus probabili aut verifimili ratione, eiq; proponit sibi insistere, & sic in libra consilii lanx una inclinatio est in hanc partem præ altera. Strictè verò Conscientia Dubia vocatur, quæ in neutram ullò modò contrariarum partem, de quibus quæritur, pronior videtur, sed planè ambigua persistit inter assensum & dissensum, ita quidem, ut nihil certi, nihil determinati constituat, nec hinc & inde inclinet, sed in suspensione iudicii instar libræ hæsitabundæ in æquilibrio positæ maneat, quæ accuratè magis Conscientia Dubia privativè talis audit, quicquid hoc loco intenditur. vid. Amesii Tract. de Consc. Lib. I. c. V. qv. 2.

§. 6. Sed & hæc diversis in locis alio atqve alio modo accipitur. Vel enim simpliciter quis iudicat, rem esse incertam & dubiam; quod usu venire solet, quando pro contrariarum sententiarum neutra rationes in promptu sunt, nullòque nitimur fundamentò, quo credamus; vel mens pro utraque parte arripit argumenta, neutri tamen accedit, sed utrinque anceps hæret, quia majorem convenientiam extremorum non videt in una contradictoriarum, quam in altera, de quibus Confer Horneji Philof. Moral. 332. Et quid, quæso, tunc opus est multa opinionum inquisitione, quare hoc vel illud eligendum aut rejiciendum sit, aut pro turpi & injusto, aut honesto & æquo haberi debeat, ubi nulla planè probatio depromi potest; unde & res pro dubia & incerta absolutè haberi poterit. Contra verò quando res exposita in hanc & illam partem ventilatur, pronascuntur opiniones, ambiguitates, objectiones & hæsitaciones, quæ intellectum mirificè implicent, turpiterque confundunt, ut ad certum iudicii actum sese determinare non audeat nec potens sit. Suspenditur iudicium; attamen non omninò à fluctuatione animi excluditur, aliàs sic dubitans, omni destitutum esset sensu, quod tamen dici non debet; sed tale hic tantum intelligitur abesse iudicium, quod assensum & dissensum exhibere detrectat, ex quo tamen verum à falso, & justum ab injusto peti debuisset. Dilucidè hoc exposuit Ægid. de Coninck. libr. de Actib. Supranat. p. 337. n. 87. dum disserit: *Patet aliquem de re aliqua dubitare, non dicere eum nullum omninò*

*circæ*

*circa eam assensum & dissensum elicere, sed eum solum non elicere talem, quò iudicet eam veram aut falsam esse. Judicans autem rem propositam sibi esse dubiam, sive talem, cui non possit determinatè assentiri, aut dissensire, hæret pendulus sive dubius inter assensum & dissensum circa rei veritatem, & ideo propriissimè dicitur dubitare. Atq; ita dubitare non est propriè omne omnino iudicium continere, sed iudicare, rem esse dubiam, ideoque continere assensum ac dissensum circa ejus veritatem.*

§. 7. Antequam verò ipsam definitionem aggredimur, ratum habeo, difficultatem, quæ se circa discrimen Opinionis, Sententiæ & Dubitationis offert, prius explanare, quò inoffenso pede melius rem ipsam inspicere possimus: neglectâ enim hujus discretionis inquisitione, certum pro incerto, & vice versâ dubium pro indubio arripere possemus. Differt autem maximè opinio à Sententia, & Dubium ab utroque, quod & P. Layman. l. cit. c. 5. sedulo annotavit. Nam dubium est, uti & jamjam in præcedentibus quædam mentio facta, quando mens in bivio versatur & alteri contradictionis parti assensum & dissensum præbere detrectat. Opinio est assensus incertus cū formidine, si non evidenti saltem virtuali oppositi expositus. At Sententia omnem omnino oppositæ partis formidinem excludit, idq; vel ob evidentiam objecti vel ob contestantis auctoritatē. Merentur tamen hæc, ut singula nobis aliquanto latius enucleentur, cum non parum utilitatis in hujus discriminis cognitione positum esse Moralium Doctores existiment. Opinio nititur nudâ probabilitate, quam circumstat terror contrarii, infringentis formatam ratiocinationem, aptam ad producendum in mente certitudinem Moralem, ex cujus consideratione suboritur hæsitatio, quæ assensum firmū neutiquam admittit. Contingentia saltem veri in ea locum invenit, non Necessitas: hæc si obtineret, non abstergere quenquam posset à proposito, quodcumq; illud fuerit, de quo tamen quotidiana nos aliud edocet experientia. Quare opinio aliquid de dubio participare censetur, unde & sæpissimè usu evenire solet, ut cum uni parti quæstionis opinativè assentiamur, nihilominus alteram contradicentem probabilem iudicare teneamur. Et sic longè præstantior est sententia Opinione & Dubitatione, quæ non contingenti saltem, sed certâ & indubitatâ nititur veritate. Ex quibus jam diversificatem

tem & gradus eorum cernere licet, quorum ultimus dubitatio est. Dū autem intellectus in suo dubio magis informatur, ut quasdam pro alterutra Contrarii parte rationes prevalere videat, nuncium remittit Dubitationi, & Opinionem fovet, quæ altiorē sibi gradum vendicat, donec tantis supatus argumentis, quò nullus scrupulus amplius eum fatiget, & in diversas partes trahat. Et sic veram possidet Sententiam.

§. 8. Evolutis jam iis, quæ circa nomen nobis annotare, incumbēbant, rem ipsam perlustrandam aggredimur, quam cum ex definitione tum divisione perspectam habere poterimus. De existentia ejus, ut adeò multi simus, non est, quia paucæ adhuc paginæ relictae sunt, neque ampliores quærere per leges concessum nobis est. Possumus tamen commodè eā superfedere, quia nemo in bonorum numero sese ita facile exponet, qui dari Conscientiam simpliciter neget. Certi enim de ea sumus non tantum ex scriptis diviniōibus & mente nostrā, sed & quotidiana experientia infallibilis quasi testis & magistra est; insuper & immensa æque Christianorum ac Ethnorum testimoniorum univocæ ante oculos posita est series, quæ omnia non permittunt de hac Conscientia dubitare. Si & necessitas existentia hujus investigandæ ampliora urgeret argumenta, haud difficile foret ad Conscientiam in genere pertractatam veluti ad communem sedem recurrere, ubi ex professo de hoc negotio agitur. Nos tantum hoc loco occupati sumus de Conscientia Dubiæ quidditate & distinctione reali. Et ex parte quidem jamjam in præcedentibus hujus definitionis mentio injecta est, tam in inquirendā Conscientiæ Dubiæ origine, quam & in describendā dubitationis naturā; unde quid dubitare sit, facile cognosci potest. Quoniam autem exquisitiores in promptu sunt definitiones, lubet nobis quasdam adducere, & ex adductis optimam eligere. Primā autem fronte sese objicit nobis Azorius, qui lib. 2. Inst. Moral. cap. 18. naturam ejus ita describit, quod talis sit, *quæ in questione, de qua agitur, neutri parti assentitur, sed hæret ac hæsitat inter assensum & dissentium.* Hujus viri vestigiis insitit Gvilel. Amesius lib. 1. de Conscient. cap. V. Fridem. Bechman. in Prolegom. de Conscient. p. 10. Concisorem quidem adfert Henric. Busenbaum, Jesuita in Me-

B

dulla

dulla Theol. Moral. cap. 2. p. 3. differens, *eam esse suspensionem circa objectum apprehensum.* Nobis tamen perplacet, quam congnavit literisqve mandavit definitionem Celebris Philosophus Kilianus Rudrauff, in Dissertatione sua de Libertate ac Dubitat. Philosoph. §. 34. quam & nos hic subjungimus & in ea acquiescere decernimus. *Scribet enim ibi, quod sit mentis agitatio vel intellectus motus ex meditat arum rationum considerata fallibilitate & formidine exortus, quo post probabilium etiam eversionem Judicium ab assensione & dissensione determinata suspenditur.*

§. 9. Unde cernere ex iis licet, non omni planè judicio intellectum vacare, sed tantum eò, quod ob ambiguitatem & fluctuationem neutri extremorum membro applicari & determinari possit, quia neutrum tantis præditum est momentis, ut palmam alteri deferre queat, sed æque paria possident. Unde maximè differt à Conscientia propriè sic dicta, cum primis à Recta, quæ non tantum judicium suum determinat ad certas actiones, sed & cujus rationes demonstrativæ & apodicticæ sunt. Cum Probabili eatenus convenit, quatenus ea opinioni conceptæ nondum tenaciter inhæret; non tamen propterea cum Probabili confundenda aut eadem statuenda est: manet enim adhuc evidens satis inter utramqve discrimen, cum illa quidem in alteram contrariarum partem feratur, quamvis adhuc assensus ille cum formidine oppositi conjunctus sit; hæc autem Dubia manet indeterminata, quæ neutri parti essentitur, sed inter utramqve fluctuat incerta, ubi pedem figat. A Scrupulosa autem in hoc differt, quod ea unam quæstionis propositæ partem ob aliquas causas svadet, sed mota contrariis argumentis etsi levioribus scrupulum accipit, qui formidinem parit, adeoque anxietate torquetur, nec se ex hoc vel illo argumento expedire potest, ita ut quid peragendum sit ambigat. Hic scrupulus est formido animi circa praxin suam, quæ Conscientiam vexat instar lapilli exigui in calceo latentis, qui pedem excruciat. Amesius lib. cit. cap. 3. p. 16.

§. 10. Communiter dispefcitur in Theoreticam seu Speculativam & Practicam seu activam. illa est, quæ immediatè non versatur circa praxin & actionem suscipiendam aut non suscipiendam, sed dubitat in genere, animumqve nuda contemplatione

pascit, & hæc non in ipso, sed ante alicujus actionis exercitium  
existere solet. e.g. Subditus bellò ortò dubitare potest speculati-  
vè, utrius partis, Regis an hostis belligeratio justa sit? An die Sab-  
bathi liceat venari, piscari &c. ? Hæc verò Practica est, quæ imme-  
diatè versatur circa singularem & determinatam aliquam actio-  
nem, an licita & suscipienda sit, annon? an bona, an mala? v. g. an  
hòc vel illò festò liceat mihi venari, iter facere &c. ? an subdito sub  
Principe suo bellum gerente adversus patriæ hostes militare li-  
ceat? vid. Fridem. Bechm. l. c. p. 10. Hornej. Phil. Moral. p. 333. Nav.  
in sum. prælud. 9. n. 9. Beca. Tom. I. c. 4 qv 8. Observandum pro-  
pterea, quod Moraliùm Doctoribus Practica alia sit juris, alia fa-  
cti. Juris dicitur de obligatione aut facultate legitima agendi, nū  
juris sit vel concessa? & subdividitur in Theoreticè Practicam &  
Practicè Practicam. Theoreticè Practica est, quando quæstio ver-  
satur circa actionem ab omni conditione individuali remotam,  
seu quando quis de universali quodam dubitat, v. g. num Con-  
tractus census Germanici usurarius sit? num charta, alea & tes-  
feris ludere liceat? & hæc dubitatio, quia non directè sed tantum  
remotè ad actionem tendit, etiam mixtum nomen sortita est.  
Practicè Practica est, quæ directè & immediatè versatur circa a-  
ctionem moralem, spectatis singulis ejuscircumstantiis; & aliis  
tantum dicitur Practica. v. g. quæritur an juramentum per vim  
latronum excussum nunc obliget? an hoc bellum gerere liceat,  
hòc vel illò festò, hic & aliis locis? Facti autem est, in quibus am-  
bigitur, utrum aliquid sit factum, v. g. utrum Baptismus hominì  
collatus: utrum sponsalia per dationem annuli facta, nec ne,?  
Sapissimè autem accidere solet, ut Conscientia Dubia facti fiat ju-  
ris, & similiter, ut Conscientia Dubia juris merè speculativa fiat  
Practica, de quo tamen consuli potest Paul. Layman. in Theolog.  
Mor. c. V. Ex his in primis annotarimeretur Conscientia Dubia  
Speculativa & Practica, quarum illa solùm dubitatio generalis;  
hæc specialis est. Illa ad judicium de bono & malo absolutum;  
hæc comparatum spectat. Harum usus in reliquis omnem pagi-  
nam faciet, quem uberius indagare utilitas admonet.

§. II. Perlustrat Conscientiæ Dubiæ Definitione ac Divisione  
observandum demum venit, nihil durante eà peragi aut omitti  
debere.

debere. Quisquis enim dubitat, planè nihil statuit, neutrumq; extremorum membrum determinat, sed animus ejus in æquilibrio quasi positus ipsò actu fatetur, neque contra neque secundum Conscientiam aliquid peragi posse. Nam omnis actus moralis rectus & honestus debet esse prudens. Prudentia autem consistit in judicio mentis definientis, quid hinc & nunc licitè suscipiendum sit, & quid non? Qui verò id spernit, & alterutri Contradictionis parti sese dubium associat, cæcò impetû & impiò ausu rem aggreditur, & periculum peccandi se exponit. Haud enim difficile fieri potest, ut, quod operatur, malum & iniquum sit, quia æque in bonû & malum propendit, & quod agit, num bene an malè fiat, ignorat? Unde nec abhorret ab iniquitate & Conscientiæ morsibus, qui malefacta concomitantur. Neque satis is est deditus faciendæ voluntati divinæ, & quantum in se, vult peccare, imò eò ipsò Dei contemptum prodit, legem violat, rationem honestatis & æquitatis non observat, & sanæ rationi adversatur. Sicut contra amicitia legem agit, qui id ultrò facit, de quo dubitat, an acceptum & gratum sit amico: ita is contra legem Charitatis agit, qui machinatur id, de quo adhuc animò suspensò hæret, an conveniat Numinis supremi menti & beneplacito, num adversetur & displiceat? Insuper & communis Regula & sententia est, quæ ab Apostolo Paulo Rom. XIV. 23. tanquam infallibile principium adducitur: *quod non est ex fide, peccatum est.* i. e. quod non sit cum determinato & deliberato judicio intellectus, licitum esse, quod hinc & nunc peragatur vel omittatur, id peccatum est. Unde sequitur, nihil Conscientiæ Dubiâ faciendum esse, quia ea non tantum Regula & legis, sed & ducis rationem habet. Sicuti ergò duce in bivio constitutò & hæsitante, quorsum eundem sit, comes itinerris pedem figere debet, donec ex aliis addiscat, quæ via sit calcanda: Ita cum conscientia nostra de bonitate & malitia alicujus actionis dubitat, ab exercitio actionis abstinendum, donec dubium evanescat, & mens in judicio certa reddatur. Hoc probè perspexerunt Cicero Liber. i. offic. *Bene præcipiunt, inquit, qui vetant quicquam agere, quod dubites, æquum sit, an iniquum: æquitas enim licet ipsa per se: Dubitatio autem Cogitationem significat injuriæ.* Plinius Secundus lib. I. Epist. 18. *quod dubitas, ne feceris.* Et Se-

NECA

neca Lib. I. Epist. Epist. 95. *Actio recta non erit, nisi recta fuerit Voluntas. Ab hac enim est Actio. Rursus Voluntas non erit Recta, nisi habitus animi recta fuerit. Ab hoc enim est Voluntas. Habitus porro animi non erit in optimo, nisi totius vite leges perceperit, & quid de quoque judicandum sit, exegerit, nisi res ad verum redegerit. Non contingit tranquillitas, nisi immutabile certumq; Judicium adeptis. Ex quibus adductis rationibus necessario sequitur, quemlibet peccare, qui actionem dubio animo sive contra sive secundum Conscientiam peragendam suscipit.*

§. 12. Distingvunt quidem nonnulli inter Dubitationem Speculativam & Practicam §. 10. allatam, asseruntq; eum tantum peccare, qui durante dubitatione Practica quicquam agat, non verò, qui de eodem theoreticè s. speculativè dubitet, h. e. posse aliquem certum & firmum esse de singulari, quamvis dubius sit de universali, quia, qui ita agat, non agat sine certa Conscientia, cum possit non obstante illà dubitatione Speculativà, certò determinare, hoc vel illud esse faciendum, vel non. Quibus tamen simpliciter nostrum assensum præbere non possumus, sed multò magis Hornejum sequimur, qui in Phil. Mor. p. 333. hisce verbis animum suum aperit: *Quamquam distinctio ipsa Judicii Conscientiæ in Speculativam & Practicam optima sit, & verum etiam, Judicium Speculativum esse remotum tantum principium Actionis, cum Practicum sit proximum principium, eo usq; tamen non discrepant, ut Judicio Speculativo existente incerto, Practicum certum aut probabile esse possit, cum perpetuò unum alteri respondeat.* Diversas quoque sententias inter se in hac materia fovent Cajetanus & Vasquez, quorum hic patrocinium; ille verò contrarium asserti nostri arripit Tom. I. Op. c. Tract. 31. Resp. 13. p. 134. Neque res aliter sese habere potest. Fundatur enim & includitur particulare & singulare in universali; & si mens nostra de universali anceps hæret, nihil aliud concludi potest, nisi ut & de singulari dubitare necessum habeat. v. g. Si scio, suum cuiq; tribuendū esse, constat & mihi, justitiam ubicunq; op9 est, exercendam & omnem injustitiam fugiendam esse. Et si dubius sum de universali hoc: an liceat Christiano usuras capere, aut bellum gerere? omninò etiam practicè dubius ero in singulari: an liceat mihi à Sempronio tali tempore usuras capere? an huic isti bello interesse liceat? Unde omninò peccant, qui in singulari casu ad

praxin statim tendunt, cum adhuc nescii hærent, quid universim in Theoria liceat? Habent tamen & ii, quid excipere possunt, qui in alterâ partem abeunt, & nobis adversari videntur, nempe quod eorû assertio non omni modo destui possit, quod & nos illis libenter largimur, posse quandoque quendam certum esse in singulari, quamvis adhuc dubius sit de generali, si modo accedat certa & iusta conditio. Unde & antea notanter diximus, nos non simpliciter sed certò quodam modò in eorum propositum descendere posse, quorum exceptionem quoque Hornejus l.c. annotat, dum scribit. *Sane potest illud fieri, ut de universali propositione quis dubitet, nec tamen dubitet de singulari, quæ sub ea continetur, sed si ignoret, (inquit) singulari rem illam sub illa contineri. Ita fieri potest, ut quis statuat simpliciter non esse licitum usuram accipere & tamen arbitretur, licere sibi hoc aut illud facere, quod aliàs revera est usuram accipere, sed ipse ignorat: quod si autem non ignorat id, quod facit, esse usuram accipere, & statuit, usuram accipere non licere, non potest etiam non statuere id, quod facit, illicitum esse.* Conf. etiam Sam. Rachel. in Exam. Probabil. Jes. p. 60. Grot. lib. 2. de J. B. & P. p. 418. §. 14.

§. 13. Quò verò nos ita præstemus, ne modum in dubitatione excedamus, & quilibet immunis à peccato esse possit in sua Conscientia, Regulæ quædam & media, per quæ quilibet in re dubia sibi ipsi consulere possit, adducenda sunt. Nam

Viam qui nescit, quâ deveniat ad mare,

Eum oportet amnem quærere sibi comitem.

Sunt tamen potissimum sequentia probè notanda, quod actio potius tamdiu suspendenda sit, donec mens probabilioribus argumentis firma reddita, omni ambiguitate sit vacua, & ita iudicium suum huic vel illi parti applicare possit, & determinare, hòc vel aliò modò rem peragendam, & sic justam aut injustam evasuram esse. Duplici autem ratione intellectum nostrum ab ignotis & dubiis in veram & certam scientiam vindicare possumus. Vel per æqui atque liciti perpetuam ac indefessam inquisitionem, quâ incertitudo magis magisque debilitatur, & denique penitus expellitur, veritas autem & certitudo ex adverso crescit diutius & corroboratur: Vel per manu ductionem & fidelem suggestionem, virorum in omni experientia & doctrina non infimæ notæ atque sublestæ fidei, quorum iudicia quilibet explorare & in usum suum con-



convertere debet. Si autem quis neutrum dictorum mediorem adhibere posset, ita ut neque per se videat, quorsum se vertat, aut quibus rationibus dubia eliminet, neque alios ad manus habeat, à quibus instrui & adversus rem dubiam muniri queat, necessitas tamen operandi ei imposita sit, is verò anceps hæret, an omitendo, an perficiendo rem peccato se commitat, tunc id, quod minorem inconvenientiam & difficultatem annexam habere videtur, eligendum esse svadent eruditi; modò prius omne propositum voluntariè peccandi ex animo propellatur. Tunc talis error censetur invincibilis & inculpabilis, absolvitque agentem à crimine. Unde enata est per vulgaris Regula: *In dubio tutior pars eligenda est.* Nam ubi electio fieri non potest, ita ut ex neutra oppositorum parte, quid æquum sit, quocumque; modò non cognosci possit, tunc licet eligere, quod minus iniquum videtur esse, quia minus malum induit rationem boni. Obiter tamen hoc loco notandum, aliud esse dubitante Conscientia agere, & aliud in dubio tutiorem partem eligere. Qui dubitante Conscientia quid agit, nec prudens est, dum absque ullo iudicio rem ambiguum suscipit, & inconvenientiam incommodumque; comitans non observat, nec abhorret à peccato. Qui autem in dubiis tutiorem partem eligit, tantum id intendit, quod minora in commoda post se trahere lapsumque majorem evitare videtur.

§. 14. Quod autem in præcedenti §. asseruimus, actiones tamdiu potius suspendendas esse, donec mens certioribus firmetur argumentis, non ita explicatum volumus ac si ratam haberemus Cartesii opinionem, qui de singulis, quæ non apodictica sunt, dubitandum esse annuit. Id enim expressa ejus verba indicant, dum dicit: *Omnia, in quibus minima occurrit suspicandi vel dubitandi ratio, ubi non est omnimoda certitudo, quæ non planè certæ & indubitata sunt, etsi nihilominus valdè probabilia sunt, & multo magis credenda, quam neganda, fundito evertenda, rejicienda & tanquam aperiè falsa habenda, assensionem ab iis, quorum similia in somnis patimur, circa quæ vel alios vel me ipsum errare deprehendi, cohibendam esse.* Quod effatum allegatum vid. in Diff. Kil. Rudrauff. de Lib. & Dub. Phil. §. 32. Sed ab eo abhorremus, quia æq; ad scepticismum ac atheismum perducit, uti affatim hæctenus à multis demonstratum fuit. Neque per manuductionem & summorum virorum fidelem suggestionem nefandum illum Probabilismum, in quo monstruoso dogmate totius Theologiæ moralis fundamentum seu

6189

*ἀνεπίστατος* à Jesuitis constituitur, intelligimus, qui jamjam ab anno hujus se-  
 culi quadragesimo tertio majori studio examinari & rejici cœpit, referente  
 Sam. Rach. in Ex. Prob. Jesuit. p. 9. Est enim detestabile dogma, quò perditis-  
 simi quique mores, scelestissima facinora defendi, nefanda flagitia excusari  
 facile possunt. Nihil certè unquam monstruosius, capitalius, damnosiusque  
 sol à principio ad usque hunc diem hæc doctrinà vidit. Pleraque in eo sunt  
 absurdiora, magisque impia, ut vix quisquam possit comminisci. Pleraque  
 jamdudum à prudentioribus Ethnicis impugnata damnataque sunt, ut The-  
 ologiæ Moralis Doctores æternùm pudere debeat, talia scita unquam pro-  
 tulisse. Sic Filiutius Jesuita Rom. Tr. 21. c. 4. n. 128. *Licetum est sequi opinio-  
 nem minus probabilem, etiam si minus tut a sit. Est communis recentiorum.* &  
 Lesius de Inst. & Jur. l. 2. c. 9. dub. 12. n. 67. *Dico 2. fas etiam est viro hono-  
 rato occidere invasorem, qui sustem vel alapam nititur impingere, ut igno-  
 miniam inferat, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Ita docet expresse Sotus  
 a. 8. Navar. c. 15. n. 3 & Sylv. v. homicidium l. q. 5. & Lud. Lopez. c. 62. Ant. Gomez.  
 Tom. 3. c. 3. n. 23. Julius Clarus §. homic. n. 26. ubi dicit, periculum fame æqui-  
 parari periculo vitæ. Ratio est, quia hic conatur auferre honorem, qui meritò  
 pluris apud homines aestimatur, quam damnum multarum pecuniarum; ergò  
 si potest occidere, ne damnum pecuniarum accipiat, potest etiam, ne banc igno-  
 miniam cogatur sustinere.* Huic ad stipulatur Escobar Mor. Theol. Tract. 1.  
 Exam. 7. c. 3. Praxis Societ. Jesu. 47. Reginaldus in praxi l. 21. n. 62. Cara-  
 muel, Theol. Fundam. Fund. 55. §. 6. 7. p. 544. sqq. Franciscus Amicus Tom.  
 V. Disp. 36. n. 118. & longè plures, quos recensitos vid. ap. Sam. Rachel. cit. l.  
 p. 64. sqq. Sed melius è pomœriis Christianorum proscribendum esse hoc  
 dogma, quam approbandum censeo. Ideirco etiam Papa Romanus impulsus est ipse e-  
 vellere hoc, Bullâque; cavet, ut ne in futurum talia nefanda à Jesuitis docerentur, Probabi-  
 lissimò enim hòe animus non redditur certus, sed dubiis suis relinquitur, nec proze resis;  
 nec peiculum peccandi præcluditur, sed multò magis cuius nequitia perpetranda janua  
 atque fenestra aperitur. Ex quibus jam colligi licet, nos longè remotos esse à probabili-  
 tate Jesuitica, & talem intelligere, quam Philosophus definit: Probabile est, quod verum  
 videtur vel omnibus, vel pluribus, vel sapientibus; & his iterum vel omnibus, vel pluribus,  
 vel præstantioribus.

§. 15. Expositus quidem nobis adhuc esset in materia substrata campus satis amplus, in  
 quem expariari, & quosdam scientiæ flores carpere possemus, in primis si dicere velle-  
 mus de Conscientiæ Dubiæ obligatione, imò & de ejus Conscientiæ Practicæ Dubiæ va-  
 riis speciebus & casibus v. g. de Judice & Advocato in causa dubia versantibus, de quibus  
 satis prolixè disserit Joh. Conr. Danh. in Th. Consc. p. 92. 166. sq. Gvil. Amesius in Tr. de Consc.  
 L. V. c. 14. p. 435. sq. P. Laym. in Th. Mor. c. V. §. 3. n. 16 & 17. It. de Ludo! Charræ & aleari, an  
 quis salvâ Conscientia aliquid ad ludum exponere, lucrari vel perdere possit? de quo egregiè  
 in Epist. illustrium Belgarum Marxius, Epist. 11. ad Casp. Heidanum, Thom. Gattake-  
 rus in tractatu suo de usu fortis. Amesius cir. l. 1. c. 2. v. 23. & in Med. parte post c. 7. de for-  
 te, Adrianus Heereboord in Melior. Phil. p. 631 Mart Bonaciniæ Comp. Cas. Consc. p. 3. Sed  
 chartæ angustia non permittit diutius huic materiæ immorari, unde & vela nostræ  
 dissertationis contrahere tenemur. Tandem

fe-  
nte  
tis-  
fari  
qve  
unt  
qve  
he-  
ro-  
io-  
&  
no-  
no-  
nus  
ez.  
vi-  
id  
rgo  
no-  
t. i.  
ra-  
m.  
it. l.  
noc  
e e-  
bba-  
efis,  
nua  
bili-  
um  
bus,  
s, in  
lle-  
va-  
bus  
onh,  
i, an  
gre-  
ike-  
for-  
Sed  
i


05 A 1478

**ULB Halle** 3  
003 778 185  


KOPF







B.I.G.

Farbkarte #13

Q. D. B. V.  
Dissertationem Ethicam

De  
**INSCIENTIA  
DUBIA**

In  
Alma Leucorea  
ca Eruditorum Disquisitioni proponit

PRÆSES

**CHRISTIANUS  
CRACOVIVS,**

Dahmensis Saxo,

RESPONDENTE

**WILHELMINE GOTTLIBIO  
FLEISCHERO,**

Gravaviensi Saxone,

in Acroaterio Minori

*X. Octob. bor. mat. A. R. S. MDCXCVII.*

*VITENBERGÆ,*  
MARTINI SCHULTZII, Acad. Typogr.